Quaestio medica Cardinalit. Disput. discep.da In Scho. Medicoru

die Jovis 28 martii M. Joanne Huguetio D. M. Moder.re sapientiss.

Suntne febribus Intermittentibus Continuae Periculosiores?

Febris est calor contra naturam a naturali sola intensione differens, non autem specie distincto consistens proprium in corde vitae principio domicilium habere dicitur. Ubi accensus, et obfirmatus ille calor, haud perpetuo cum siccitate coniunctus, inde semper ignibus (?) dum per arterias, et venas spiritu et sanguine quibusdam veluti internunciis in omnes corporis partes diffunditur, earumque functiones deteriores reddit, morbum maxime universalem primariam sui constitutionem in contentis, continentibus, aut impellentibus habentem efficit.

Hinc nascitur febris omnino triplex. Ephemera quae in cordis spiritibus primo et per se vel incensis, vel forte etiam putrescentibus consistit. Cui σύνοχος simplex ex sanguine citra putredinem inflammato producta affinis existit: Hectica quae solidam cordis substantiam nulla etiam diaria antegressa primo invadit. Νοσώδης vulgo humoralis quae in eiusdem cordis humoribus primariam sedem obtinet. Cum vero humores sint 4or, ex eorundem putrescentium diversa specie ac situ vario putridae febres nascuntur, aliae quidem continuae, aliae intermittentes.

Ac ubi in omnibus vasis majoribus potissimum inter alas et inguina decurrentibus, sanguis non ille solus quidem, sed aliis admixtis humoribus, sive ipse vel suo vapore cor continentes attingens putrescit, febris generatur σύνοχος putris dicta, cuius sicut et συνόχου simplicis tempus universum (?) in unica accessione a principio ad finem perdurante consumitur, estque haec quidem et altera simplex ὁμότονος, ἐπακμαστική, et παρακμαστική. Σύνεχης autem quae licet ad integritatem non veniat, singulis tamen exacerbationibus sensilem aliquam remissionem habet, ex humoris biliosi, pituitosi, aut melancholici in vasis exilibus (?) procul a corde dissitis putredine oritur, ac pro diversitate humoris naturae continuas febres, quotidianam, tertianam, et quae rarissima est quartanam specie differentes producit.

Cum vero si praeter naturam humores extra venas in habitum corporis diffusi ibidem putrescunt, tum febris generatur intermittens quae singulis paroxysmis in ἀπυρεξίαν desinit, fitque vel quotidiana si pituita, vel quartana si melancholia, vel tertiana si bilis putredinem concipiat, quarum circuitus non tam putrescentis humoris occulta proprietate, quam eiusdem quantitate, et qualitate manifesta finiuntur. Est enim ex vario pituitae, aut melancholiae motu quotidianae, aut quartanae febris accessiones cum frigore vel horrore incipientes, singulis diebus, aut 4o quoque die revertuntur, sic et tertianae paroxysmus alternis semper diebus redit cum rigore, qui si ἀπὸ τῶν ἀγγείων, venaeque sudor, mulieribus ex lumbis potius, viris autem parte etiam corporis posteriore magis quam anteriore incipiens a bilioso humore eximie acri partes sentientes motu suo vellicante, ac totum corpus succutiente excitatur.

At febres quoniam modo intermittentes quod nec ab inflammatione alicuius visceris, nec a maligna humoris insignis putredine nascantur, intervallumque habeant, quo aegroti sumptis tuto alimentis vires colligere possunt, per se et sine ullo (?) vero periculo merito cedunt: Continuae autem ad infebricitationem non pervenientes, nec vel unum (?) cibandi aegrotos tempus opportunum relinquentes ex sua natura calamitosae habentur; cuiusmodi sunt praeter caeteras febres καυσώδης quae a tertiana continua re ipsa non differens συνόχου acutior existit, ἠπιαλώδης (?) Hippocrati horrifica quae ex bile, et pituita in corporis diversa sede putrescentibus conflatur; λοιμώδης denique, haec est pestilens, quae non aliunde, quam ab insigni putredine nata morbus epidemius non perniciosus modo sed omni contagionis specie contagiosus vere existit.

Ergo sunt febribus Intermittentibus Continuae Periculosiores.

Ponebat Joannes Grout Constantinus. 1585.